



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

238. Dominica 10. post Pentecost. Qui censeantur esse in via purgativa,  
qui in illuminativa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

226 *Sabbato Dom. 9. post Pentecost*  
ut ego amem me ipsum. Sat lucrè est in odio  
mei amor Dei, Si minimâ sensuum mortifi-  
catione mihi accrescit gratia, gloria, Dei que  
amor æternus, quid amplius requiro? Scivi  
etiam in hac vita esse terminum merendi, &  
miserendi, finitis nudinis, clausâ eleemosy-  
narij januâ, Spes omnes accisas esse. Itaque  
omni occasione usa est, qua in abnegatione  
sui, & amore Dei cresceret; sicut enim cursor  
eò vicinior est metæ, quò magis à prima  
distat linea; sic vicinior Deo quisque est, quò  
à se fuerit remotior.

*Conf. 2.* Proposita hujus septimanæ, qui-  
bus statui sensus meos cohibere ab omni  
peccato, vanitate, superfluitate; necessitati &  
virtuti eos applicare, nihil ex nimietate de-  
siderij, neque ex præcipiti affectu, sed ex ele-  
ctione cum tranquillitate cordis omnia age-  
re. Postulabo remissionem lapsuum per sen-  
sus unquam admissorû: Gratiam abundan-  
tem, ut eos cohibeam, intercedente D. Vir-  
gine, ad cujus pedes proposita deponam.

MEDITATIO CCXXXVIII.

Dominica 10. post Pentecosten.

*Qui conseantur esse in via purgativa,  
qui in illuminativa.*

**V**idēbo in publicano adumbratū quem-  
vis peccatorem, ad gratiam redeuntem.  
in

*Dominica 10. post Pentecost.* 427

in quo charitas quasi aetor Dei zelat, & poenas ab hoste Dei sumit, atque à Filio paricida satisfactionem exigit. Petam intelligere, quinam censeantur esse in via Purgativa, quique in Illuminativa.

*Conf.* 1. Status viæ purgativæ obligat ex natura sua, & intentione agentis, ad statum gratiæ, & luctam contra omnia vitia, etiam levia. Proponendo sibi ante oculos. 1. Lapsus, 2. Eorum causas. 3. Media, quibus utraque tollantur. 4. Applicando manum operi.

*Conf.* 2. Spectant ad viam purgativam sex hominum status. 1. Peccatores etiam miraculose conversi, ut Paulus. 2. Conversi jam pridem, sed adhuc vitiosi, vel quia initio parum se purgârunt, quod contigit aut ignorantia sui, aut pigritia, aut defectu Magistri, aut quia non indigere se putarunt, aut quia præproperè sunt occupati in exterioribus, aut quia relapsi in vitia occasione, & ignavia propria, aut si non graviter lapsi, multis tamen annis quibusdam imperfectioribus pertinaciter, importunè, magna cum impunitate divini amoris, afflictionèque animi oppugnantur. 3. Profecti, dum suscipiunt novas occupationes, præsertim vitæ activæ, ne levis imperfectio causa sit lapsus gravioris, diu igitur, seriòque purgandi. 4. Innocentes pro occultis, pro venialibus, in cautela

telaya

428 *Dominica 10. post Pentecosten.*

relam in futurum. 5. Proverti, cum tentantur, permittente divinâ Providentiâ, & agitantur difficultatibus, sicut incipientes, ut sint solliciti in omnibus, parati ad omnia, iisdem eos uti armis oportet, quæ incipientibus salutaria præcipuè esse solent. 6. Via purgativa humilitatis gratia exercenda est, exemplo Christi, publicè baptismum poenitentiae suscipientis.

*Cons. 3.* Naturam viæ illuminativæ esse, præter peccata venialia deliberata insuper auferre eorum causas subtiliores, ut sint affectus noxij, passiones & perturbationes, etiam sine peccato, non dico gravi, quod spectat ad primam viam, sed veniali. denique studere virtutibus: quia privatio virtutis propinqua nimis est vitio. Unde ab hac via excluduntur. 1. Qui omnia mortalia, nullum veniale vitare volunt, qui status mortalis est ratione periculi. 2. Qui nolunt ab aliquo peccato veniali abstinere: quia hi nolunt proficere, & facile labuntur lethaliter. 3. Excluduntur, aut vix admittuntur, qui volunt vitare venialia, sed affectus inordinatos nolunt excludere: hi enim proprij a moris nube cæci, tantùm speculative, non practice proficiunt: Quia nunquam ad tertium charitatis gradum, qui est puritatis, ascendunt, quàm diu nolunt deputare affectus. Ad-

micua-

*Feria 2. Domin. 10. post Pentecost. 429*

mittuntur ad viam illuminativam. qui cum gratia Dei absolutè volunt vitare peccata venialia, quæ de industria fiunt: vellent & subreptitia, sed rebellionem carnis, & infirmitate spiritus præditi saltem ea minuunt, se ipsos mortificant, custodiunt, utiliter occupant, & ex peccatis ipsis proficiunt, atque in virtutibus se exercent. Hinc intelligam, in qua via sim. In quacunque fuero, bene mecum publicano humiliavero: quia nimis absum ab exemplari meo D. JESU Eucharistico, qui cum sit *cibus fortium*, August. in manual. Petã ab eo roborari in via Domini.

MEDITATIO CCXXXIX.

*Fer. 2. Domin. 10. post Pentecosten.*

*Incitamenta ad tentationes alacriter ferendas.*

**A**spiciam militem Christi sudore, & pulvere decorum, complacentem sibi in infirmitatibus. Petam scire tentionis bonum

*Conf. 1.* Coronam appetens potest certamen, tentationem, instrumentum acquirendæ coronæ appetere. Ad hoc circumspiciendum, quod in quaque tentatione sit, quod in prima primorum parentum, ubi quatuor fuerunt: serpens suggerens, mulier annuens, vir comedens, lignum pulchritudine suâ alliciens. Lignum significat bonum temporale, serpens